

tur solutio Aluminis purificati. Turbidus fiet Liquor, & lacteus; idcirco Lac Sulphuris appellatus. Nihil interea movendum; sponte enim præcipitabitur Pulvis albus, quem Aqua calente edulca, postea sicca.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

R Mercurii per distillationem purificati . . . uncias duas;
 Aquæ fortis uncias tres:
 In Aqua forti solvatur Mercurius, tum effundatur in fictile vitreatum, quod Aqua marino Sale puro saturata semiplenum sit. Post aliquot dies albus Pulvis subsidebit, Aqua tepida edulcandus, & supra chartam in hypocausto siccandus.

CAPUT XVIII.

DE SUBLIMATIS.

FLORES ANTIMONII MARTIALES;
VULGO NIX MARTIS.

R Reguli Antimonii Martialis iteratis fusionibus rite expurgati, & pulverati libram unam:
 In vase figulino, cujus ima pars plana sit, ponatur Regulus, ac desuper scutella parvæ altitudinis in centro perforata intra idem vas ita collocetur, ut Regulum non attingat; præterea operculum vasi aptetur, in quo ipsa etiam inclusa maneat scutella: tum in furno prunis superpositis

positis vas constituatur, atque ignis adeo augeatur, ut testæ fundus candeat, & liquetur Regulus. Post horæ spatium cesser ignis, & vasis refrigeratis harentes hinc, & illinc, atque in ipsa præsertim Reguli superficie nivi, ac splendentes flocculi colligantur: deinde eandem operam toties repete, donec Regulus fere totus in Flores abierit.

FLORES BENZOINI.

Benzoinum contusum, & in cucurbitam inditum vitreo capitello cæco præditam igne arenæ leni sublimetur. Refrigerata cucurbita capitellum amove: Flores collige, & sepone; idque toties repete, donec flavi Flores una cum Oleo attolli incipiant.

FLORES SULPHURIS.

Citrini Sulphuris contriti aliquot uncias in cucurbitam terream injice, cui adiecto cæco capitello vitreo, vel potius lignea capsula, sublima igne arenæ, cavendo ne Sulphur liquetur. In capsulam Flores assurgent, qui sæpe amovendi sunt; tum novum Sulphur adhibeto, ut, quam velis, Florum quantitatem obtineas.

FLORES SALIS AMMONIACI.

R

Salis Ammoniaci,

Salis Marini decrepitati . . . ana partes æquales:

Pulverata, & bene commista in terream cucurbitam
humi-

humilem immitte: tum apposito capitello, & excipulo subjiatur ignis initio lenis, qui postmodum per gradus augeatur, usque dum cucurbitæ fundus candeat. Stillabit primo Spiritus in excipulum: post Flores ascendent, atque hærebunt capitello, & cucurbitæ lateribus. Hi exempti in ampulla vitrea bene obturanda recondantur.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

℞

Salis Ammoniaci,

Scobis Ferri : ana quantum libet:

Facta ad dies tres digestionem ex cucurbita capitello, & excipulo instructa sublimentur Flores, qui capite mortuo deinde remiscendi sunt, & iterum sublimandi. Flavum Liquorem, quem in excipulo reperies, tanquam Spiritum Salis Ammoniaci Martialis ferva.

Sic parentur Flores Salis Ammoniaci cum Hæmatite.

CINNABARIS:

℞

Mercurii libras duas;

Sulphuris Citrini pulverati libram unam:

*In olla terrea ad ignem lenem liquato Sulphure Mercurius è corio stillans commisceatur, pistillo ligneo continenter versando, donec perfecte commistus sit, & involutus Sulphure, ut amplius non appareat. Tunc refrigeratam Massam, & in Pulverem redactam mitte in cucurbitam terream, & sensim adaugeto igne in Cinna-
barim sublima.*

N.

N. Si triplo ferreæ Scobis admisceatur Cinnabaris, atque ex retorta cum excipulo Aqua semipieno instituat^r distillatio, iterum prodibit Mercurius, qui propterea redivivus appellatur.

CINNABARIS ANTIMONII.

℞

Antimonii,

Mercurii sublimati corrosivi ... ana libram unam:

Mercurium sublimatum tere in mortario marmoreo, & cum Antimonio pulverato commisce: postea ex vitrea loricata retorta, cui aptatum sit parvulum excipulum, distilla, ignem gradibus augendo, usque dum fumi rubescens apparere incipiant. Habebis Oleum crassum, seu Butyrum Antimonii, quod, ubi in retortæ collo concreverit, carbone ardente admoto fluidum reddes: Id collectum in vase vitreo obturato asserva. Caput mortuum in aliam retortam immitte: ignem gradatim adhibe, ut evehatur Cinnabaris ad collum retortæ, è qua refrigerata illam exime: in pulverem tere; abluè, sicca, atque iterum sublima. Dosis a granis sex ad duodecim.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞

Mercurii Aqua forti dissoluti, & in massam siccam evaporatione redacti,

Vitrioli ad albedinem siccati,

Salis decrepitati . . . ana partes æquales:

In pila marmorea accurate omnia ligneo pistillo ante
com-

commista in vase idoneo ponantur, cujus media saltem pars vacua relinquatur: tum igne arenæ sensim adaucto sublimatio fiat. Mercurius sublimatus è vasis lateribus detergatur, & solus denuo sublimetur, ut purus, ac pellucidus evadat.

MERCURIUS DULCIS.

R Mercurii sublimati corrosivi ... uncias quatuor, Hydrargyri distillatione purificati .. uncias tres: Mercurium sublimatum in mortario marmoreo conterere: deinde Hydrargyrum instilla, pistilloque ligneo agita, & tandiu commisce, dum globuli mercuriales invisibiles sint: tum subnigrum Pulverem pone in ampulla vitrea, cujus dimidia pars vacua maneat, & igne arenæ ad horas sex per gradus adhibito sublimatio fiat. Qua peracta confringe ampullam: a sordibus, & pulvisculo quodam ad ejus collum hærente separa: etiam sexies sublima, vel donec omnino insipidus deprehendatur.

PANACEA MERCURIALIS.

Mercurium dulcem pulveratum, & in ampullam vitream inditum sublima: sublimatum a facibus separa, tere, sublima; idque sexies repete: tum læviga: in matracio pone: Vini Alcohol affunde, quod ad tres digitos emineat, & vas identidem commovendo, diebus octo digere: tum Alcohol accende, cujus deflagratione absolvitur operatio.

CA: